CONIECTVRA
DE LIBRIS
DE IMITATIONE CHRISTI
EORVMQ; AVCTORIBVS.

ROMÆ,

Typis Iacobi Dragondelli. 1667.

Superiorum Permiſſu.

13
175
34-6-C-12-
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVàm ſatius foret aſſiduè legere, atque peruolutare Opuſculum aureum de Imitatione Chriſti in Libellos quatuor diſtinctum, & ex his dimanantia pietatis Chriſtianæ documenta, veluti ſalubres aquas deriuatas e quatuor fluminibus Paradiſum irrigantibus haurire, ac ebibere; quæq; ſuadet pius Auctor perficere, ac exſequi, quàm ſolicitè, & anxiè diſquirere, ac indagare quiſnam ille fuerit; monuerat quidem ipſe Cap. 5. Lib. primi Lectorem hiſce verbis. Non quæras quis hoc dixerit; ſed quid dicatur attende. Verùm inſanabile ſcribendi cacoëthes, & humanæ gentis vitium curioſitas tam multos impulit ad eum inueſtigandum, vt ferueant prælа lucubrationibus, quæ in dies ſuper hoc Typis eduntur, certaturque quaſi pro aris, ac focis à viris doctis, qui potiſſimùm Ioannem Vercellenſem Abbatem, quique Thomã à Kempis aſſerunt Auctorem. Harum lucubrationum benè magnam partem percurri, diùque perpendi argumenta hinc inde prolata, proq; modulo ingenioli mei trutina cum examinaſſem, in eam tandem ſententiam conceſſi, vt cenſeam non vnum, ſed plures Auctores eſſe;

E quibus primus fuerit Ioannes ille Vercellenſis Abbas, ſeù de Canabaco, vt in M.S. Leonis Allatij Viri Illuſtriſſimi legitur, eſt autem Canabacum oppidum diſtans duodecim mille paſſibus ab Vrbe Vercellenſi, nunc Cabelliacum, & vulgo Cauaglia teſte Pingonio in Auguſta Taurinorum.

Erat hic Ioannes Scotus,ſeù potius Hibernigena natione, qui ad ann. 837.Carolo Caluo Ludouici Imperatoris filio iubente S. Dionyſij Areopagitæ Libros è Grȩco vertit in Latinum (ait Ferrerius Epiſc. Vercellenſis pag. 126. de Vercellenſibus Epiſcopis)Exſtat Dionyſius Areopagita cum Expoſitionibus Abbatis Vercellenſis in Bibliotheca Sublacenſe.Alter eſt Vbertinus de Ilia Caſalenſis, qui anno 1325.è Sancti Franciſci Ordine tranſijt ad *Sancti Benedicti*, et inde ad Cartuſianum, in cuius Opere,quod inſcribitur Arbor vitȩ Crucifixi,multa ſimilia illis,quȩ continentur in Libris de Imitatione Chriſti ad verbum reperiuntur, & ex Collatione ſeptima ſancti Bonauenturȩ ad Fratres Conuentus Toloſani bonā partem Capitis vnius tranſtulit in Libros de Imitatione,in eorùmque Libro 1. Cap.25. attende (inquit) Cartuſienſes. Tertius eſt Petrus Renalutij, ſeu Raynaldutij natus è Corbario Vico agri Reatini, ſiue Diœceſis, optimæ vitæ, doctus, & ad res gerendas aptus, qui ordinem S. Franciſci profeſſus, ob famam ſanctimoniæ fuit intruſus à Ludouico Bauaro Imperatore aduerſus Ioannem *Vigeſimum* Secundum Papam anno 1328. ſeditq; Romæ, & Nicolaus Quintus nuncupatus expleuit in ſchiſmate annos tres, menſes tres, *dies* quatuordecim, imò & aliquot Anticardinales delegit, poſtea erroris conſcius, & pœnitens Piſas aufugit, & inde Auenionem ſponte profectus ad ipſum Ioannem Papam exclamauit, peccaui Pater *in* cȩlum, &c.

& co-

& coram ipſo, totòq; Conſiſtorio Schiſma eiurauit, exceptuſque beneuolè in Palatio pluſquam biennium ſuperuixit, & in pace quieſcens ſepultus fuit in Conuentu Minorum; ibiq; deuotum ſcripſit Librum de Imitatione Chriſti, vt affirmat Marianus Florentinus, qui anno 1430. vixit, in Chronico. M.S. quod non ita pridem Florentia Romam translatum fuit apud S. Iſidorum, & R.P. Lucas Vadingus in Scriptoribus Ord. Min. atq; in Annalibus aſſerit, quin & damnati auctores Balæus, Geſnerus, & Simlerus in Bibliothecis.

Certè Lib. 3. de Imitatione Cap. 50. legitur quantum vnuſquiſq; eſt in oculis tuis (Domine) tantum eſt, & non amplius, ait humilis Sanctus Franciſcus, nihil enim moror altercationem illam, an; & quando Sancti nomen adſcriptum, deletumùe fuerit, ſed certò hinc conijcio Franciſcanum fuiſſe ſcriptorem, quin & Papam ex his verbis, Lib. 1. Cap. 22. nemo eſt in mundo ſine aliqua tribulatione, vel anguſtia, quamuis Rex ſit, vel Papa. *Scilicet* priores tres Libri de Imitatione ſeorſim à *quarto* exſtant in Codice Claromontano Sirmondi, & in quibuſdam Bibliothecis (ſic Albertus Luykenius prior Canonicorum Regularium Coloniæ tradit) per partes exarati ſunt antiqua in membrana, vel charta, interdum nullo ordine Capitum, ſeù Librorum ſeruato, interdum cum adſcriptione (Pij alicuius Fratris) aut (Thomæ à Kempis,) qui verè fuit librorum illorum compilator, vt dicitur in Auguſtano Codice

dice, eoſque (ſicut erat calligraphus) exſcripſit, & conſarcinauit, atq; interpolauit.

Quarti verò Libri de Imitatione genuinum Auctorem eſſe opinor Ioannem Charlerium è Gerſonio Pago Rhemenſis agri, qui obijt anno 1429; nam Dialogis, vt plurimùm vtitur, & è Sanctis Bernardo, Thoma Aquinate, & Bonauentura plurima in eo collecta ſunt, quæ Thomas à Kempis deinde (anno quippe tantum 1471. obijt) videtur redegiſſe in ordinem, & adtexuiſſe. Feſtum autem diem, ſolemnèmq; Celebritatem Corporis Chriſti ab Vrbano IV. Pontifici Maximo indictam anno 1264. tum à Clemente IV. ſancitam, à Ioanne XXII. anno 1328. in Gallias propagatã cõſtat ex Hiſtoricis, iſq; dies Feſtus innuitur ſatis Lib.4. C.10. de Imitatione. Stylus ideò varius eſt, nec idem tenor vbique ſeruatur, imò diuerſi ſunt eloquij vultus, quemadmodum candidus, & æquus Lector animaduertet.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM. EMANUELE

Imprimatur.
Si videbitur Reuerendiſſ. Patr. Mag. Sac. Pal. Apoſtolici.

M. Epiſcopus Arimini Viceſg.

Imprimatur.
Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Mag.